





ANALYSIS

*L. un. C. ubi de possessione agi
oporteat.*

Occasione publicarum auscultationum, ad ostendendum
intellectum ejus capitis singularem, instituta, &

SUB PRÆSIDIO


DN. JOH. OTTONIS TABORIS,
U. J. D. & in Inclyta Argentoratensium
Universitate Cod. ac Placit.
Feud. Prof. P.

Publicæ & SOLENNI censura submissa,

à

JOH. ULRICO ZELLERO,
Rothfeld - Würtemb.

ad Diem X. Mensis Decemb



ARGENTORATI,

Typis JOANNIS PHILIPPI MÜLBII,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

M. DC. XL.

215


Jesp. XIII

1640/10

20

Di-
ium
tatis
.c.7.
rma.
ij &
e non
alii:
atio-
dum
s. d.
pag.
ffio.
nant,
acce-
m &
tque
s ge-
i do-
b. 10.
one-
menti
kem-
etur.
mu-
deog
orib.
māse
ntui-
ap. 5.
a co-
orum
e ex-
feud.
acta





Viro Amplissimo

DN. THOMAE LANSIO,
Publici Privatque Jurisconsulto Eximio, Se-
renis. Ducis Würtemb. Consiliario
Gravissimo:

Cujus

Nomen augustum
& famam perennem
fecere

Munera literaria
& Merita Publica:

Exercitium isthoc Analyticum,
Ritu Academico Solenni

Animoq; pio, reverenter inscribit,
coque Favori Ipsius atq; virtutibus
se devovet:

Joh. Ulricus Zeller,
A. & R.

J. N. D. N. J. C.

T H E S I S. I.

IN omni causa, siue Civilis siue Criminali iudicio peragēda, apprime necessariū est, ut, quod in principio litis, ante quemvis actū alium movendū ac definiendū esse legū decrevit authoritas, in *l. ult. C. de except. ibiq;* Gloss. Iudex ac Forum competens deligatur. Nec enim omnium Magistratum eadem, sed cuiusque suis limitibus circumscripta primitus & definita fuit Jurisdictio; arg. §. *sed hoc jure. 4. l. de Atil. tutor. l. un. ibi, secundum jus potestatis sue. Si quis jus dic. non obtemp. l. ult. de Jurisd. l. 1. 2 pr. l. 4. §. ult. l. 5. de off. procons. ne sc. rerum agendarum cum Reip. detrimento, veletiam privatorum ipsorum incommodo, confusio aliqua suboriretur, l. ult. C. si à non compet. jud. l. cum unus. 12. §. 1. de reb. auth. jud. possid. facit Ordin. Reform. Resp. Argēt. pag. 1. sub tit. von vnterscheid der sachen §. 1. ibi: dardurch nicht allein viel vnrordnung vnd confusion. Hinc est quod Impp. sacratissimi non tantum providerunt, ut transgressores hujus ordinis debitis animadversionibus coercerentur; *l. in criminali. §. 1. C. de jurisd. omn. jud.* sed ne ignorantia causam quisquam allegare posset, in super cuius personæ causæ ve vid. *Pac. in Anal. Cod. Quando Impp. inter pupillos. & in tit. C. ubi Senator. vel Clariss. peculiare ac proprium forū adaptarunt. Qua de re sunt tituli Cod. in lib 3. à tit. 13. usq; ad 26. inclusive. Cōf. in simili Ordinat. Camerae part. 2. tit. 1. & seqq. Mem. Jud. & Asses. An. 70. §. wenn auch. fin.* E quibus præ cæteris seligere & exercitij gratia subincudē revocare placuit *l. un. ubi de possessione agi oporteat.* tum quia textus ille à multis commentatoribus omissus, à plerisque vero in alienum sensum tractus atque detortus fuit; tum quia in materiam interdictorum, & consequenter possessionis nos deducit, quæ quantis sit immerisa difficultatibus, quantis item referta utilitatibus, satis ostendunt eruditissimorum hominum, ea de re querelæ ac testimonia, ut adeo frequenti repetitione subinde excolenda veniat.*

*Pramittit
(1.) qua ad
commendationem textus pertinet.*

A 2

II. Eum

*Præmitto
(2.) qua ad
explicatio-
nem faci-
unt termi-
norum.*

II. Eum ergo textum, Deo clementer annuente, aggressuri, non recedemus ab antiqua resolvendi methodo, & (nulla continuandi ratione, quam egregie pertextuit Wesenb. in *Comment. Cod. h. t.*) ante omnia terminos obscuritate sua, (qua plerique decepti fuere) liberabimus. Exemplo diligentissimi Ulpiani, in *l. 5. §. 6. 8. & seqq. de his qui effud. vel deiec. l. 4. §. 1. & textib. seqq. de injus voc. l. 2. & seqq. de his qui not. inf. l. 21. §. 2. 3. de noxal. act. l. 4. §. 1. de Interrogat. l. 3. de jureiur. add. l. 1. §. 11. de vtr. insp.*

Et initio quidem particula, **UBI**, tam in Rubrica quam textus ipsius frontispicio posita, primum dubitationis, deinde resolutionis characterem habet: Sicut in simili, ad quaestionem, ubi fideicommissum peti oporteat? in principio *tit. 17. lib. 3. Cod.* positam, respondetur in nigro: ubi, ubi hereditas relicta est; & ex *tit. 20. eod.* interroganti, ubi de hereditate agatur? respondetur; illic, ubi res hereditarias esse proponis, &c. Enimvero particula ista etiam in responsione seu decisione *ἄπο τοῦ ὅπου* repetenda & iteranda est hoc modo: De possessione agi oportet, aut ubi vis facta est, aut ubi momentaria possessio postulanda est. Neque enim solus delicti locus, seu in quo vis facta est, forum interdictis retinendæ possessionis congruum constituit. Uti quidem Wesenb. in *Comm. Cod. h. t.* innuit *n. 2. ad verb. ubi:* docens vocem istam referendam esse ad locum, in quo vis facta est. quod postea clarius refutabitur. Illud autem recte ibid. monet Wesenb. non tantum locum soli seu solo coherentem hic intelligendum, nec hanc legem cum Bald. de possessione rerum soli tantum accipiendam esse: sed etiam de possessione rerum mobilium: Eo inter alia fundamento; quod Interdictum unde vi rerum quoque mobilium nomine aliquando datur *l. 1 §. 6. & §. si fundus. 32. de vi & vi armat. l. ult. C. unde vi. Conf. inf. th. X.*

III. **VIS** autem, quæ h. l. facta dicitur, non est intelligenda:
(1.) Compulsiva, qua quis per metum cadentem in virum constantem compellitur ad aliquid dandum vel faciendum. de qua est *tot tit. ff. quod met. caus. & tot tit. C. de his qui vi met. caus.* (2.) Nec Ablativa, qua res mobiles auferuntur, & per actionem vi bonorum raptorum repetuntur, ad quam pertinet *tot. tit. J. D. & C. de vi bonor. rapt.* (3.) Nec Expulsiva, qua quis ex possessione rerum immobilium atrociter dejicitur, & per interdictum unde vi ad amissam possessionem recuperandam agit. de qua in *§. recuperanda. 6. J. de interd. tot. tit. ff. de vi & vi arm. & tot. tit. Cod. unde vi.* (4.) sed proprie & primario
Turba-

Turbativa, arg verborum hujus l. un. adversus eum, qui possessionem turbavit, & attentare reliquorum verborum oppositione: qua quis in possessione, quam retinet, turbatur, eaque suo arbitrio & libere uti prohibetur l. sicut. §. s. Aristo. §. vers. ult. si serv. vind. l. i. §. 4. & tot. tit. D. & C. uti possid. Et secundario etiam (s.) **Inquietativa**, qua quis à non possessore, opere facto, vi aut clam in possessione sua molestatur. De qua est tot. tit. quod vi aut clam. Hæc enim cum vi turbativa nonnunquam coincidit; ut docet Menoch. de recup. possess. in preclud. n. 43. ibique allegati, per l. un. §. i. ibi, inquietatur. ff. utrobi.

IV. Porro vox **POSSESSIONIS**, quæ in textu nostro sequitur, varias in Jure recipit significationes, quas authores passim cumulare solent, vide Wesenb. in comment. C. h. n. 2. C. I. A. de A. vel A. P. §. 2. nec opus est otiose repetere. Nobis h. l. idem est, quod detentio cum affectione sibi habendi, uti definitur à Cujac. 9. obs. 33. sequitur Vult. ad h. l. un. n. 6. C. I. A. de A. vel A. P. §. 4. n. 2. Et sane cum interdicta eam possessionis significationem admittant, Uti clare exponit Cujac. d. l. confer C. I. A. de interd. §. i. junct. a §. 2. n. ult. de A. vel A. P. eundem sensum cum plerisque Dd. huic quoque textui accommodare libet, non repugnante Rubrica generaliter & absolute hic posita, nec invitis ipsis verbis, Vis, possessio, turbavit possessionem, in decisione adhibitis, quæ omnia interdictorum causam redolent. Aliter Wesenb. in Comment. C. h. n. 3 qui possessionem, quoad hunc tit. attinet, definiendum esse censet: cuiuslibet rei detentione, quæ à proprietate aliena sit. Illam enim adjectionem, de affectu sibi habendi, tantum Civili possessioni congruere, non Naturali. Cum tamen generalis hic tradenda sit definitio. Interim tamen non excludimus quasi possessionem Jurium seu rerum incorporalium, pro qua cum recuperanda tum retinenda Utilia competunt interdicta. Vide Menoch. de recup. poss. remed. l. n. 81. cum multis seqq. C. I. A. in tit. Vri possidet. & passim. Cæteræ significationes in his terminis non æq; locum obtinent, maximè vero illa excludenda videntur, quæ possessio per metonymiam adjuncti pro subjecto accipitur, pro ipsa nempe re possessa, in l. 11. de alien. jud. mut. caus. fact. l. 5. §. 10 de reb. eor. qui. l. 3. de extraord. cognit. Licet eam Azo vel maximè amplectatur, ad h. l. un. dum ita eam reddat. De momentanea possessione agi potest, vel ubi ipsa possessio, i. e. res, quæ possidetur, existit; vel ubi facta est violentia. Eoque inclinent etiam Salicet. Perez. ad h. t. n. 2. Vult. ibid. n. 41. in vers. infr. §. 2. allegandis. Interdictis enim, de quibus h. l. sine dubio agitur,

non res, sed rei possessio regulariter postulanda est. *pr. I. de interd. l. is qui destinavit. 24. de Rei Vind. C. I. A. de interd. th. 36.* Nec Adjectivum, momentaria, huic explicationi posset aptari: siquidem rem ipsam, quae possidetur, V. C. praedium, momentaneum dicere, perquam fuerit incongruens & absurdum.

V. Enimvero quid nomine POSSESSIONIS MOMENTANAE, in adjecto, intelligendum veniat, non usquequaque expeditum est, & proinde cum id ipsum textum nostrum obscurum ac difficilem reddat, paulo altius rem repetere operae pretium erit. Momentum itaque a temporis brevitate dictum *Cujac. i. obs. 20.* in genere quidem loquendo, denotat quodlibet breve aut modicum temporis intervallum: *idem ex Isid. d. lo.* Verum specialiter in Jure horam significare docuit *Govean. i. variar. lect. cap. 10 n. 4.* & eum laudans (*ac lib. 5. variar. lect. citans.*) *Cujac. qui in comm. ad l. in usucapionibus. 6. de usucap.* addit: nullum considerari minus momentum posse. At idem non tantum ab *Alberic. Gentil. de divers. temp. Appellat cap. 7.* eo nomine reprehenditur; sed & ipse alibi accuratius inquirens, duplicem in Jure significatum occurrere fatetur: sumi enim (1.) pro **ATOMO**: ut cum Juris auctores scribunt, id quod filius acquirit, ne momento quidem in ejus persona consistere, sed confestim Patri acquiri. *l. placet. 79. de A. vel O. hered.* quod idem *Cujac. in doctiss. de divers. temp. praescript. tractatu cap. 1.* interpretatur esse *ἐν ἀτομῶ*: in articulo *l. 3. C. de off. Com. rer. priv.* in puncto temporis, ut *Tertull. de resurrect. carnis appellat.* Quamquam alij inter puncta, momenta, atomos iterum differentiam faciant. *Cujac. d. loc. in f. Conf. l. continuus 137. ibi: aliquod momentum nature: de V. O. l. 16. & 18. de Reb. dub. l. 18. §. 1. de manum. testam. l. ult. de condit. instir. l. 9 C. de hered. inst. §. 13. & 15. de inutil. stip. iterum Cujac. 3. obs. 34.* Male autem ad hanc speciem refert *Elbert. Leonin. 5. Emendat. c. 11. n. 2. l. 3. §. 3. de Minorib.* ubi licet de momento in momentum dicatur fieri computatio: Non tamen intelligitur, (quod ille isto in casu arbitratur,) scrupulosa, punctualis & Mathematica supputatio. Siquidem vox momenti (2.) in Jure etiam usurpatur populariter & *ἐν πλάτῃ*, ut *Ulpian loquitur in l. pen. de condit. Tritic.* pro latiore quodam temporis spatio: quomodo & in *d. l. 3. §. 3.* vocem momenti sumi *Cujacius in comment. ad illum locum recte docuit, & in d. tr. cap. 1. vers. tertio.* quo capite cum plurima ejusmodi latioris acceptionis exempla attulisset: subjicit in f. hinc etiam momenti interdictum videri appellatum, quod *Graeci πρὸς ῥοπήν* vocant.

VI. Cæ-

VI. Ceterum ut à momento in hac acceptione (nam illa significatio cum vox momenti translate ad utilitatis & emolumentationem declarandam adhibetur, ab hoc loco aliena est.) Paronymum illud; momentaneum & momentarium, haud dubie deducitur. (sic enim momentarium usum fructum in *l. ult. §. ult. C. de bon. quæ liber.* nominari testatur Cujac. *d. cap. 1. vers. 7.* eoque modo momentarias voluntates *l. 20. C. de inoff. testam.* & inter consimilia plurima, momentariam quoque possessionem dici, dubio procul in confesso est.) Ita de ratione appellationis & subjectis adæquatis, quibus hæc denominatio cōveniat, non usquequaq; inter Dd. convenit.

Accurcius in *l. momentaneæ. 3. C. qui legit pers. stand. in jud. hab. duplicem appellationis causam affert; primam ab aptitudine (seu rectius à duratione) quia talis hac voce intelligatur possessio, quæ parum (seu pauxillum temporis) apud aliquem duratura sit. Alteram (à celeritate remedij) quia cito debeat expediri & sine mora. Prior ratione amplectitur Donell. *17. cōment. 4. lit. P. Pacius in Anal. Cod. qui legit. person.* Posteriores Cujacius in *parat. Cod. si de moment. possess. fuer. appell. ibi momentaria possessio est, quæ interdicto Prætoris celeriter reformanda & restituenda est. idem in recitat. ibid.* Nos utramque conjungi posse putamus. vide Bocer. *class. 6. disp. 4. th. 27. lit. C.**

VII. Porro in applicatione nonnulli Dd. intelligunt per judicium momentaneæ possessionis, Interdictum retinendæ: quem intellectum fuisse veterum fere omnium ait Rauchbar. *part. 2. quest. 6. n. 2.* de quo etiam Constitutionem Imperij super litigiosa seu momentanea possessione de Anno 21. 48. 55. *ordin. Camer. p. 2. tit. 21. & Edit. Noviss. tit. 22.* (quam Hispani Interim, Galli Recredientiam, Belgæ Provisionale remedium seu fiduciarium possessionem; alij Processum informativum appellare solent; Besold. in *thesaur. voce, Interims Mittel.*) proprie accipiendam esse tradit Gail. *1. Obs. 5. n. 8. vid. Mantium ad d. constit. pag. 14. vers. primum est; quod partes.* Alij tantum spoliationis seu recuperandæ possessionis judicium intelligunt: ut Wesenb. in *paratitl. ff. de Appellat. n. 8. Comment. ad d. l. 3. C. qui legit. person. & Consil. 1. n. 13.* Alij hæc conjunctim & simul adipiscendæ quoque possessionis judicia, eo nomine venire statuunt. Donell. *supr. alleg. loc. Schneidenvy. ad pr. J. de interd. n. 18. Cujac. ad cap. 1. ext. de caus. poss. & propr. quo sensu etiam accipere videtur C. I. A. de judiciis. th. 92. & alibi.*

VIII. Nos in hoc opinionum divortio putamus verba hæc aliquan-

l. 1. is
mo-
quæ
uerit
TA-
pedi-
c dif-
Mo-
gene-
tem-
oram
adans
bus. 6.
e. At
7. eo
du-
pro
quirit,
n Pa-
is. de
a arti-
urrect.
a diffe-
omen-
l. ult.
Cujac.
Emen-
entum
sto in
pputa-
lariter
e quo-
menti
cap. 1.
nis exo-
um vi-
L. Cæ-



aliquātō latius hīc sumi, quatenus nempe possessoria iudicia oppo-
nuntur petitorijs: quo sensu non negamus omnia possessoria mo-
mentanea posse appellari: Nam ut *Cujac. in recitat. ad tit. C. si de mo-
ment. possess. fuer. appell. fere in medio recte monet*: Omnis causa possessio-
nis (*ita legend. pro, appellationis*) momento expedienda est, ut mox ve-
niatur ad secundam actionem, quæ est de dominio. *fac. egregiè cap. 1. i.
ibi, tam momenti quam proprietatis causam. X. de caus. possess. & propriet.*
Cæterum si Interdicta contendantur & comparentur inter se, tum
certe ut plurimum interdictum recuperandæ, cæteris opposi-
tum, hoc nomine venit. Et ita accipimus, quod *Cujac. in pr. d. recit.*
docet: Ex usu constitutionum Codicis in sola actione de possessione
restituenda, esse momenti beneficium: quia quam citissime fieri
possit, atque ita momento res expediatur & spoliatus restituatur.
(*ita iterum leg. in edit. noviss. quæ æque mendosa, magno Reip. literaria in-
commodo prodijt, ac anteriores: quidquid plani illi in contrarium jactent.*)
*Fac. eleg. l. momenti. 6. C. Th. Unde vi lib. 4. tit. pen. ibi: momenti actio exerceri
potest per quamcunque personam: sub colore autem adipiscenda possessionis &c.
quæ in Cod. Justin. est d. l. 3. sub tit. qui legit. person. iuncta l. un. C. si per vim
vel alio modo. l. momentarie. 8. C. unde vi.*

Cujusmodi oppositio cum etiam in hac l. occurrat, merito per
postulationem momentariæ possessionis intelligimus Interdictum
unde vi, seu possessionis recuperandæ remedium, quod retinendæ
sc. opponatur. *Conf. C. l. A. de interd. th. 2. & 34. fin. Wesenb. in parat.
Cod. b t. ibi; momentanea possessio, cuius hic fit mentio, significat spoliata
possessionis causam: Ut in l. ult. C. qui legit. pers. De adipiscenda posses-
sione aliquid hic monuisse supervacuum fuerat, cum circa ejus fo-
rum dubitationes fere nullæ occurrant.*

IX. Sequitur in textu vox, POSTULANDA EST, quæ
præter vulgarem significationem, (cum petitionem quandam ex-
trajudicialem denotat, *ut in l. 1. pr. C. de suffrag.*) aliquando idem signi-
ficat quod accusare, *in l. 38. §. 6. ad l. Iul. de adult. l. 41. de solut. l. 31. §. ult. de
donat.* Hic vero proprie accipitur & juxta definitionem Ulpiani,
*in l. 1. §. 1. de postul. quomodo etiam sumitur in rubr. Cod. ubi heredes scripti in
possessionem mitti postulare debeant. item in l. 15. fin. C. si cert. petat.* Mini-
me autem vox ista idem sonat, quod exstare seu existere; uti quidem
Azonem hic eam reddidisse refert & sequitur *Vult. in comment. h. n.
41. (in verbis: ubi igitur possessio postulanda est, id est, ut Azo recte interpre-
tatur, exstat, ibi loci iudex iudicare debet.)* Neque enim inter plures vo-
cis,

cis, postulandi, significationes ulla talis reperitur; aut sententiæ legis convenit: Nec ipse Azo hoc dixisse videtur: Ita enim verba ejus habent: *De possessione momentanea plura interdicta & plures actiones competunt; de ijs autem omnibus potest agi, vel ubi existit ipsa possessio, id est res, vel ubi est facta violentia.* E quibus apparet, ipsum *τὸ* postulare per, agere, reddidisse, & voci, existere, opposuisse.

X. Porro ne vox, TURBAVIT (quæ plures Interpretum perturbavit,) sensum turbatum nobis objiciat, accurate distinguenda erit. Licet enim in *Rubr. Cod. si per vim vel alio modo absentis turbata sit possessio*, ablatam, atque adeo recuperandam possessionem indiget, ut ex ipsius Constitutionis verbis, tanquam subjecta materia, arguitur, & clarius ex *Cod. Th.* probatur, in quo Constitutio illa collocata est sub tit. Unde vi. statim in primo numero lib. 4. tit. 22. *Consule Menoch. de recup. poss. remed. 6. v. 2. & 3.* Hoc tamen loco eam tantum denotare videtur molestationem, seu impeditionem in possessione, quæ animo etiamnum retinetur; & primo quidem ac propriè eam, quæ quoquo modo alicui objicitur, vel in possessione, tum rei mobilis, tum immobilis, & soli & superficiei, vel in q. possessione servitutum aliorumve Jurium & rerum incorporalium; quo nomine comparata sunt interdicta retinendæ possessionis, quæ vim turbativam corrigunt, ut puta interdicta uti possidetis, de superficiebus, de itinere actuque privato, de aqua cottidiana & æstiva, de rivis, de fonte, utrubi &c. *De quibus singulis peculiare exstant tit. in ff. & Cod.* secundario autem transfertur etiam ad eam molestationem, qua quis, opere vi aut clam facto, alterum inquietat in possessione sua; cujus nomine comparatum est interdictum quod vi aut clam, quod violentiæ inquietatiæ opponitur. *arg. l. II. de vi & vi arm. tot. tit. ff. quod vi aut clam.* Nam & hæcenus possessorem turbari, dictum est, *supr. rh. 3. n. 5.* Unde satis patet, non eum solum casum hic supponendum esse cum Azone, Perezio & alijs ad h. l. quasi Titius, cum ad fundum ire vellet, in viaretentus sit: sed omnem casum turbatæ possessionis admittendum esse: Quæ explicatio generalitati rubricæ etiam convenit, quam ad unicum tantum casum restringere, ineptissimum foret. *Conf. inscript. precedent. & seqq. hujus libri titulum. C. A. in pr. rh. 248. de judic.*

XI. Non etiam prætereunda est vox, CONVENIT, quæ non sine singulari ratione, virtute & emphasi apposita videtur. Ea enim Legislatores ad significandam rei æquitatem & justitiam uti solent,

B

lent,

lent, pro, decet vel oportet: Et ita ita etiam adhibetur in l. 1. vers.
sed post elapsa. C. si per vim. vel alio modo. l. si ve. 28. C. de transact. l. 4. §. 16.
vers. namque. convenit. de doli except. Synonymicæ sunt seqq. formulæ:
æquum vel æquissimum est: Ut in l. 5. ad SC. Tertull. l. 1. de eo per quem
factum. & civilis & naturalis ratio suadet: pr. l. de nupt. non tantum
juris ratio, sed & ipsa æquitas postulat: l. un. C. de prohib. sequestr. se-
cundum naturam est: l. 10. de R. I. Congruum est. l. 1. pr. de pact. l. 13.
de Offic. presid. & c.

XII. Tandem & quod ultimam vocem, JUDICARE concer-
nit, non sumitur ea hoc loco stricte, quatenus tribuitur Judici Peda-
neo, qui nullam coërcitionem habet, *l. a divo Pio. 15. pr. de re jud.* & op-
ponitur *τὸ* jus dicere, quod competit ei, qui Jurisdictionem habet,
sive ordinariam, sive Mandatam. in l. un. C. ne quis in sua causa iudi-
cet, vel jus sibi dicat: sed late usurpatur, ita ut utrumque compren-
dat, quod velex in inscriptione legis, ad Festum Proconsulem Africa:
directa, apparere potest, qui sane non Judex Pedaneus, sed Magistra-
tus ordinarius fuit. arg. l. 1. l. 2. pr. l. 4. §. ult. de off. procons. & leg. sub hoc
ipso autem verbo latet responsio ad propositam in rubr. quæstio-
nem, ubi de possessione agi oporteat. Nam ex natura Relatorum,
ubi judicandum est, ibi etiam agendum esse nemo non videt.

Scindō.

XIII. Quibus ita præmissis, totum jam textum nullo nego-
tio in duas partes scindere & partiri licet; quarum altera complectatur
quæstionem, seu subjectum, altera responsionem, seu prædicatum.
Quæstio quærenda est non in prioribus verbis legis (*cum*
Barbosa ad proem. hujus tit. qui id quæri hoc loco nugatur, Vbi de momenta-
ria possessione agi oporteat? hæc enim verba ad Prædicatum; non ad *τὸ*
ἑντέμενον pertinent) sed in posterioribus: ibi loci judicem adver-
sus eum, qui turbavit possessionem, convenit judicare. Quæ
verba iterum non continent Quæstionem universalem, Vbi nimi-
rum de possessione agi oporteat: *Vti Dd. Antiqui tradunt citati ab*
Anton. Mornac. in observat. ad h. tit. (utunque rubrica ipsa generalis
sit) Nec de interdicto unde vi concepta sunt, *Vt idem errat. d. lō.* Sed de
turbata possessione in primis, ubi sc. de ea postulatio instituenda
sit, disquirunt. Vicissim autem Responsio & decisio consistit in
verbis legis prioribus, nempe illis: Vbi aut vis facta dicitur, aut
momentanea possessio postulanda est; in quibus duplex
describitur forum, alterum certum & expressum, locus sc. delicti cō-
missi,

missi, alterum implicitum & relativum, illud sc. quod momentariae possessioni postulandae proprium est, seu ubi interdicta recuperandae movenda sunt; puta ubi vel res sita est, vel reus domicilium habet.

XIV. In summa ergo hoc dicere voluerunt Impp. Interdicta retinenda possessionis moveri debent eo in loco, in quo per vim turbata fuit possessio, aut ubi interdicta recuperandae essent agitanda. Ita enim (uti modo diximus,) forum certum, nempe rei sitae, *l. ult. C. ubi in rem act.* eruit forum incertum. Quae summa facile ex ipso textu elucebit, si disiectae seu trajectae & transpositae propositiones rite & hoc modo disponantur: Cum de possessione turbata quis agere vult, ibi iudicium ordinandum & instituendum est, ubi aut vis facta dicitur, aut possessio momentaria postulanda est. Et huc fere redit posterior explicatio C. I. A. de jud. d. th. 248. illis verbis: *Vbi de amissa per vim possessione agi potest interdicto unde vi, ibi quoque potest agi interdicto uti possidetis, de turbata possessione.*

XV. Aliter Gl. Salic. & alij summam istius legis concipiunt: Causa violentiae, inquit, (vel momentanae possessionis actio, secundum Azonem) ibi tractari debet, ubi est possessio, aut ubi vis illata est. In eamque sententiam etiam abijt Vult. *h. n. 38. & seqq.* Verum haec a quaestione aliena est & extra terminos rubricae evagatur, subjectumque male cum praedicto confundit, uti ex supra dictis manifestum evadit. Licet in idem hoc vitium se induat Pacius in *Method. ac Anal. C. h. r. & ejusdem Mimus atque transcriptor Anton. Perez. in parat. Cod. eod. cum inquit: Per vim dejectus possessione praedij, habet duplex forum, alterum ratione delicti, alterum ratione possessionis. De delicto ager, ubi vim passus est & impeditus, quo minus ad praedium iret: si de possessione agere velit, poterit agere apud iudicem loci, ubi possessio sita est.* Etenim praeterquam quod subjectum de vi expulsiva conceptum est; Male, ut modo d. in eo quoque impingitur, quod hoc pacto (1.) assumuntur praedicata Legis pro subjecto (2.) quod Lex copulative praedicat, male disiungitur (3.) interdicto unde vi tantum agi apud iudicem rei vel possessionis sitae, merum est postulatum.

XVI. Speciem facti, qua res tota oculis evidentius subjiciatur, talem concipiamus. Sempronius, Africanus, fundum possedit jure hereditario vel alio quocunque. C. I. A. *uti possid. th. 10.* C. Ius forte ex alia provincia supervenit & turbavit Sempronium, inficiando jus ipsius & prohibendo libere ac pro arbitrio re

B 2 sua

Casum fi-
guro.

sua uti. Sempronius rem ad Festum Proconsulem Africae detulit. Causam exceptionem incompetentiae objecit, & ad sui domicilij iudicem causam referri & coram eo examinari voluit. Quia in re dubius Festus Imp. Valentinianum & Valentem consuluit, quid Juris? Responderunt a. illi, omnino ibi de possessione turbata iudicandum esse, ubi aut vis facta dicitur, aut ubi alias de possessione recuperanda agendum foret. *Diss. Hillig. 17. 17. C.*

Perlego.

XVII. Huncque adeo textus nostri sensum ipsa lectio atque recensio comprobatur, quae ita habet:

Vbi de possessione agi oporteat?

Imperatores Valentinianus (Occidentis) & Valens (Orientis; illius Collega atque Frater.) Augusti, ad Festum Proconsulem Africae.

Vbi aut vis facta dicitur, aut momentanea possessio postulanda est, ibi loci iudicem adversus eum, qui possessionem turbavit, convenit iudicare. Data VIII. Cal. Junij, Gratiano I. & Dagalaipho Consi. hoc est, Anno 366. ut juxta vulg. Epoch. Gothofr. & Vult. h. recte annotavere.

De causis.

XVIII. Nunc rationes legis ut investigemus, susceptus ordo efflagitat. Nec sine causa utique vel ipse Festus, Africae Proconsul, decisionem Imp. hoc in articulo desiderasse videtur. Siquidem non latere eum poterat, quod jam ante ab Imp. Valer. & Gallien fuerat rescriptum: Praesidem Provinciae in eum, qui ejusdem Provinciae non sit, nec ex interdicto posse cognoscere. *qua constitutio extat in l. 2. C. de interd.* Item quod generaliter fuerat definitum à Dioclet. & Maximin. reum quemcunque tantum ibi conveniendum esse, ubi domicilium habeat, vel tempore contractus (qua voce generaliter sumpta omnis obligatio comprehenditur. *l. omnem. 20. de iudic.* etiam ea, quae ex delicto descendit. *l. 1. pr. l. 4. de O. & A. gl. in d. l. 2. verbo, contractus. C. de iurisd. omn. iud. Wesenb. in comment. C. de Reb. cred. n. 20. C. I. A. de iud. tb. 220.*) habuerat *l. 2. C. de iurisd. omn. iud.* Plane forum delicti huc non quadrare Bald. *in l. ult. n. 4. C. Fin. regund.* serio censuit, quod haec vis non sit maleficium, ut adeo ejus nomine forum dari non debeat.

XIX. Ratio autem decidendi (& quod liberum sit actori, vel domicilii, vel delicti, vel rei sitae forum eligere, *arg. l. 2. de eo quod certo loco*

eo loco, l. ult. C. ubi in rem act. l. 19. §. ult. de iud. Wefenb. in comm. C. ad h. l. un. in f.) subinnui videtur ipsis illis verbis: ubi aut vis facta dicitur, aut momentanea possessio postulanda est. Nam (1.) quia reus forum sortitur non tantum ex loco domicilij, sed etiam ex loco contractus: l. 2. §. 4. d. l. 19. §. 1. 2. l. 36. §. ult. l. 45. pr. de iud. l. 1. 2. C. ubi de rariocin. l. 54. §. ult. de procurat. l. 27. de cond. indeb. Nov. 69. c. 1. et si, domicilium ibi non habeat d. l. 19. §. 1. de iud. Idcirco consentaneum maxime est, reum juxta electionem actoris respondere eo loci, ubi delictum contrahendo seipsum obligavit, i. e. ubi possessionem turbando vim fecit, (quod certe absque delicto vix fieri potest: l. vim facit. 11. de vi & vi armat. ac proinde forū delicti non excludit.) licet ibidem non reperiatur, nec bona sita habeat. v. C. A. de custod. reor. th. 12. n. 3. coll. c. 1. de for. compet. in 6. Adde (2.) quod hoc Interdicto nō tantū in id agitur, ut turbator à turbatione desistat & eo nomine caveat (juxta cōmunem sententiam. vide tamen C. I. A. uti possid. th. 14.) sed ut etiam præstet, quanti actoris interest turbatam possessionem non fuisse l. 1. pr. & l. 3. §. ult. d. r. quod utrumque ab alio quoque, quam domicilij iudice, injungi reo potest. Præterea (3.) Interdictum turbatæ possessionis magnam ad finitatem habet cum interdicto recuperandæ; nam & quibus in rebus illud dari solet, etiam hoc ferè locum habet, quippe cui damus actionem, ei multo fortius defensionem concedi quis dixerit. Azo ad tit. Cod. uti possid. n. 5. per l. 1. §. 4. de superfic. Proinde non sine causa constituerunt Imp. ut huic quoque interdicto intentando, idem cum illo forum attribueretur, quod præcipue est vel rei sitæ; arg. l. ult. C. ubi in rem act. vel domicilij; vide sup. th. XIII. & XIV. Facit huc quod interdicta omnia, licet vi ipsa personalia sint, tamen in rem videantur esse concepta; l. 1. §. 3. de interd. adeoque mixtam quandam formam actionum referre censeantur; qualia remedia cum in loco rei sitæ, tum in loco domicilij exerceri posse statuit C. I. A. de jud. th. 238. & seqq. Wefenb. in w. Cod. h.

XX. Nec movere pro consulem vel alium quemcunque iudicem debebant Constitutiones ex adverso adductæ: Nam quod Imp. in l. 2. C. de Interd. rescripserunt, in eum, qui ejusdem provinciæ non sit, Præsidem provinciæ non posse cognoscere: Non videtur restringendum esse ad solum domicilij forum: sed de alijs quoque fundandæ Jurisdictionis causis esse accipiendum: Cum earum quoque intuitu quis de provincia & territorio Judicis esse reputetur.

B 3 uti

ajus
cau-
estus
pon-
ubi
gen-
atq;
lens
tum
po-
pos-
VIII.
est,
recte
s or-
nful,
non
erat
nciæ
n l. 2.
Ma-
dō-
liter
triam
ntra-
C. I. A.
elicti
quod
non
i, vel
cer-
o loco



uti sunt hoc in negotio, causæ delicti & commissæ violentiæ, item-
que rei sitæ. P. Frider. de Interd. pag. 12. n. 66. Zang. d. c. 1. n. 320. v. l. preses. 3.
de off. presid. C. I. A. de Jurisd. th. 38. Eodemq; modo dictio, tantum, in d.
l. 2. C. de Jurisd. accipienda est in oppositione ad forum actoris, ut
illud excludat: non auté ad forum rei, si forte is aliud habeat. gl. ibid.
Quemadmodum & verba, vel tempore contractus habuit, non
determinant domicilium pro foro unice competenti, sed contra-
ctum ibidem celebratum innuunt, & reum eodem in loco conveni-
endum, non tam quod illic domicilium habeat (quod imo mutasse
proponitur) quam quod inibi contraxerit. vide Donel. 17. cõment. 12. &
ibi Hillig. lit. M. Vmmium 4. de processib. n. 7. C. I. A. de restit. in integr. th. 20.
Ad postremam dubitationem Baldi exacte respondit Wesenb. in
comment ad h. t. n. 3. quem transcribere verecundamur.

XXI. Neque forum rei sitæ (quod tertio loco pr. dubitari
poterat.) hic sufficit: arg. l. 3. de reb. auth. jud. possidend.

Nam, ut recte Wesenb. in Comm. Cod. h. n. 6. ait: potest alibi vis fa-
cta esse, alibi autem esse possessio. Nempe non tantum eo casu,
quem hic cum Pacio Perezius ingerit: sed & cum de possessione re-
rum mobilium turbata controversatur. Ad d. l. 3. respondet We-
senb. d. lo. & vide C. I. A. de jud. th. 221.

Connoto

XXII. Ex iis, quæ hætenus juxta seriem textus & metho-
dum præscam dicta fuere, sua sponte fluit & colligitur isthæc con-
clusio: Quando de turbata possessione agitur, triplex forum
fortiri reum, delicti, rei sitæ & domicilij: Quorum illud ex-
pressis verbis declaratur & a Dd. cõmuniter approbatur: istud sub
foro recuperandæ possessionis tacite includitur, & rursus à nemine
non recipitur: hoc ex eodem per bonam consequentiam facile de-
ducitur ac elicitur. Cum enim ob recuperandam possessionem
duæ quodammodo actiones moveri possint, Real. ratione rei seu
possessionis, & personalis ratione violentiæ commissæ, unaquæque
etiam suum peculiare sortietur forum. Menoch. de recup. possess. remed.
15. n. 209. Et illa quidém institui poterit in loco rei sitæ, hæc vero in loco
delicti, C. I. A. de accusationibus th. 8. Wesib. n. 8. & 9. Vmmius. d. 4. n. 10.
vel etiam in loco domicilij, quippe qui cum illo semper concur-
rit. C. I. A. de iud. th. 249. per d. l. 2. C. de jurisd. omn. iud. ut in actoris
trib. sit positum agere, ubicunque velit. l. 19. §. ult. de iud. l. 2. §. 3. de eo
quod certo loco. l. 25. pr. C. de Episc. & Cler. quam tamen electionem amittit
post

post citationē ut loquūtur, emanatā seu emissa. per l. 7. de jud. Clem. ult. ut lit. pend.

XXIII Nec ab ea sententia, quam exoluti textus supponit evidentia, dimovere nos debet autoritas dissentientium, quorum alii duo rantum fora; vide Gl. Azon. Salic. h. Zanger. part. 2. de except. cap. 1. n. 349. (nulla enim mētio fit, inquit, in h. l. un. fori domicili, sed tantūmodo delicti & possessionis, ut sc. ubi vis facta est, aut ubi possessio momentanea est, ibi loci iudex, adversus eum, qui possessionē turbavit, iudicet.) Alii non nisi unum exprimunt; ut Talden, in Cōment. Cod. h. r. ibi: Interdicta seu possessionis defendenda remedia intentanda sunt coram iudice loci, in quo possessio est. l. un. h. r. conf. Don. 17. Comment. 17. & defendit Hillig. ibid. lit. A. B. C. D. cum allegatis.

Objesio.

Offensum n. est supra, forum domicili & rei sitæ implicite designari in verbis, aut momentanea possessio postulanda est: quæ verba malè vulgò intellecta, Zangerus ibid. perperam ad rei sitæ forum tantum restringit. Posterioris opinionis assectæ magis quidem negotij facti sunt, sed textui nostro inhaerentibus facilis itidē erit ad emergentia dubia responsio. Etenim Donellus d. lo. ad confirmandā suam sententiam (quæ tantum in loco rei sitæ de quacungq; possessione agi & iudicari & posse & ex necessitate debere vult) duobus Iuris textibus & ratione Iuris una utitur. Textus adducit hanc ipsam Cōstitutionē nostrā, & l. un. C. ubi de her. ag. Vt pote in quibus non dicitur, conventum ibi se defendere debere, sed (in priore l.) convenire ibi iudicare, i. e. oportere in posteriore, postulandum esse. Quæ verba non de facultate, sed de necessitate interpretatur, quæ tū actori, tū iudici, ibi agendi iudicandique, imposita sit. Et exinde infert, hanc necessitatem adimere actori omnem liberiorē & ampliorem agendi facultatem, repugnante & in locum rei sitæ revocante reo: Pugnant quippe, inquit, hæc: necesse esse agere alicubi, & liberum esse ibi vel alibi agere. Rationem Iuris desūmit à commoditate tum probationum, quæ facilius in loco rei sitæ inveniri possint: tum executionis, quæ à iudice alterius loci expectari non debeat. l. 12. §. 1. de reb. aut h. jud. possid.

XXIV Verum præter ea, quæ vult h. l. un. n. 46. & seqq. respōdet, sc. (1) distinguendo inter forum proprium rei sitæ, & adventitium domicili, quorum illud ordinariē & per regulā, hoc per exceptionē, ita ferere occasione; actori arripiendum esse statuit. (2.) negādo incommoditatē, quæ vel ipsi actori, utpote locū eligenti, imputari debeat, vel per iudicē alterius loci requisitū corrigi possit. l. pen. de iuris d. l. 15. de re jud. Insuper hæc juxta resolutionē hæctenus exhibitam, reponi poterunt: (1.) Argumentum ab h. l. desūptum plāne nullū & invalidum esse. Nā ex iis verbis, ubi vis facta dicitur, non eruitur locus rei sitæ, sed locus delicti, uti in eā sententiā unanimes eunt omnes Dd. & Gl. h. In posteriorū a. verborum, aut ubi momentaria possessio, & c. interpretatione rursus impingitur, dum illa perperā de retinendā possessione accipiuntur, ita præcunte Azon. & Salic. sic n. manifestam atq; ridiculā principij petitionem implicarent, quasi quisquam ignoraret, ibi iudicandum esse de retinendā possessione, ubi ea postulatur, ut indicat C. l. a. d. tit. de jud. l. h. 248. pr. (2.) dici potest: Alterum Argumentum ex d. l. un. C. ubi de her. ag. petitum, nostram assertionem ex h. l. un. elicitam plāne non ferere, quippe cum illa de adipiscendā possessione loquatur, de qua h. l. non fuit quæstio.

XXV. Coromidis loco, nec in cōmode, hic quæri potest, an constitutio isthæc etiā de Criminali persecutione exaudiendā sit? Et ita volunt Dd. communiter, moti ea ratione, quod violentiæ nominatim hic fiat mentio. VVesemb. in Cōment. C. h. n. 2. ibi: hic generatim de foro violentiæ agitur, quæ possessio violata est. & Cujac. in w. C. h. ubi sic ait; tractatur de eo, qui per vim dejectus est possessione pradij, ubi nam. is querelam movere debeat? & respondens Imppp. quod is de vi queri possit.

tem-
ses. 3.
ind.
s, ut
ibid.
non
ntra-
veni-
tasse
12. &
h. 20.
b. in
bitari
vis fa-
o casu,
ne re-
We-
etho-
e con-
orum
nd ex-
d sub
emine
le de-
onem
rei seu
æque
remed.
n loco
n. 10.
ncur-
s. h.
3. de eo
mittit
post



*fit. & criminaliter ex legibus Iulii de vi, idque in loco, ubi vis facta est; & c. Vili-
ner (ita n. forte apud eum legendum pro similiter) de possessione momentaria per
interdictum unde vi. Nam ut in pr. ait, huius tituli Constitutio & de Criminali
causa est, & de causa possessionis seu momenti. Atq; ita fere etiam Pac. in anal.
C. h. & Perez in m. & Vult. h. n. d. Zanger. part. 2. de except. cap. 1. n. 349.*

Verum quia (1) Illi vim factam h. de expulsiva adeoq; recuperanda, cōtra
ea, quæ supr. th. 3. n. 3. 4. 5. adducta fuere, & contra verba relationis, *qui possessionem
turbavit*, interpretantur. (2) quia etiam criminalis actio ad possessionem non da-
tur, sed ad pœnā præcipuè: (3) nec in Criminali iudicio quæritur de jure possessio-
nis. per l. 5. §. 1. ad l. Iul. de vi publ. Econtra autem (4) turbatæ possessionis interdi-
ctum, de quo hic sermo est, propriè & C. A. uti possid. th. 17. non est pœnale; sed rei
persecutorium, ad interesse tantum seu restitutionem fructuum & damnorum, ut
& ad cautionem de non amplius turbando competens. *vide Vveserb. in m. ff. uti
possid. n. 5. cuiusmodi iudicia possessoria cum criminalibus nihil habere commune,
fatetur ipse Cuiac. in recit. ad l. 37. de iudic. per l. si quis. C. ad l. Iul. de vi. Idcirco
Constitutionem nostram de Civili tantum, non etiam Criminali persecutione
merito accipimus. & vide Don. 27. Comment. 17. lit. B. & ibid. Hilliger. Vmm. d. 4. th. 2.*

XXVI. Sed annon tota hæc disputatio sublata videri, vel everti potest ex
c. 1. extr. de caus. posses. & propriet. ubi Pontifex refert, Legali provisione (forte
in l. ordinarii. 13. ibi. prius de possessione iudicetur, ac tum demū proprietatis causa
ab eodem iudice decidatur. C. de R. V. & l. nulli. 10. ibi: pœna imminente ei, qui
alium super possessione, alium super principali quæstione iudicem postulave-
rit. C. de iudic.) decretum esse, ut tam momenti quam proprietatis causa, sub uno
eodemq; iudice debeat cognosci: unde quis inferat, nullum iudicem hodie de pos-
sessione cognoscere posse, qui non etiā in proprietatis causa sit ordinarius? Verum
Responsio ad hanc dubitationem etiam in proclivi est: (1) Non n. semper is, qui
possessionem alterius turbat, etiam proprietatis litem movet, puta si quis posside-
ntem proiecitur super solum suum vel in ædes suas, illud non jure habere dicat. l. 3.
§. 5. & 6. uti possid. adde l. 3. §. 9. ibid. (2) Nec semper is, qui turbatur, de proprie-
tate etiā laborat: ut apparet in eo, qui in q. possessionibus usus, vel usufructus, vel
aliarum rerum incorporalium turbatur. l. ult. d. t. Item si quis ossa mortui in suā
possessionem ferre prohibeatur. l. 9. de Religios. Imò (3) possessorium retinendæ
regulariter nō potest cumulari cum petitorio per l. 1. §. 6. uti possid. Carpzov. part.
2. Jurispr. For. const. 7. de fin. 10. fin. Nisi fortè possessor ultro de jure suo cedere & pe-
torium instituendo, fateri velit adversarium quoq; possidete. & C. l. A. de Interd.
th. 46. atq; ita accipe th. 17. uti possidet. n. 6. d. Collegis. Conf. de Interd. th. 17.

XXVII. Denique quod ad usum fori hodierni attinet; tradit Gailius, ho-
die in subditis mediatis id servari, ut, si res, de cuius possessione litigatur, sine o-
mni controversia sita sit sub jurisdictione iudicis ordinarij, & iustitia non deneg-
tur; is cognoscat, vel iudex ordinarius rei, qui controversiam possessionis movet:
Camera a. in illis possessionibus litigiosis aseat, quæ incidunt in tres casus in
Constitutione de Anno 11. 48. & 55. cōprehensos. & 1. Obser. 5. n. 9. C. l. A. de Interd.
th. 20. & seqq. In Brabantia universam de possessione cognitionem ad supremam
Curiam spectare memorat Tulden. in comment. C. h. In Gallia ad iudicem Regium,
omisso dominico, refert Anton. Mornac. in obser. ad h. t. Conf. reformat. in-
clut a huius Reip. Argent. sub tit. Sachen vor den grossen Racht gehörig. §. 27. ibi: Desse
gleichen wann wider thätliche extrajudicial handlungen vnd turbationes,
inhibitiones vnd andere verbott geschehen.

F I N I S.


ULB Halle
005 714 745

3



VD17





B.I.G.

Farbkarte #13

ANALYSIS

215

L. un. C. ubi de possessione agi oporteat.

Jurp. XIII.

1640/10.

Occasione publicarum auscultationum, ad ostendendum intellectum ejus capitis singularem, instituta, &

20

SUB PRÆSIDIO


DN. JOH. OTTONIS TABORIS,
U. J. D. & in Inclyta Argentoratensium
Universitate Cod. ac Placit.
Feud. Prof. P.

Publica & SOLENNI censura submissa,

à

JOH. ULRICO ZELLERO,
Rothfeld - Würtemb.

ad Diem X. Mensis Decemb.



ARGENTORATI,

Typis JOANNIS PHILIPPI MÜLBII,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

M. DC. XL.

